

111
ANT-XIX-1786/13

LA
ALHAMBRA

EL SUSPIRO DEL MORO,

POEMA

EN DISTICOS LATINOS

POR EL DOCTOR D. CELESTINO GONZALEZ SANTOS,

CATEDRÁTICO DE LATINIDAD

EN EL INSTITUTO DE GRANADA.



BURGOS.

ESTABLECIMIENTO TIPOGRÁFICO DE P. POLO.

1875.

C.L. 11 - 1



LA ALHAMBRA

Y

EL SUSPIRO DEL MORO,

POEMA

EN DISTICOS LATINOS

POR EL DOCTOR D. CELESTINO GONZALEZ SANTOS,

CATEDRÁTICO DE LATINIDAD

EN EL INSTITUTO DE GRANADA.



BURGOS.

ESTABLECIMIENTO TIPOGRÁFICO DE P. POLO.

1875.

LA

ALFAMBRA

EL ESPINO DEL NORO

DEPARTAMENTO

LA REFORMA

NOTA DE DON JUAN A. GARCIA

EXTRACTO DEL LIBRO

DE LA HISTORIA DE CHILE



IMPRESA

LA REFORMA

1900

GRANATÆ

ALHAMBRA, MAURIQUE SUSPIRIUM.

Scribere Granatæ historicen, signandus ut audax,

Jam mihi cura semel, terque quaterque fuit.

Nec Martis certamina, verum mira relatu,

Atque Boabdil ea nunc memoranda canam.

Sed calamus negat actum, contra stante Minerva;

Tardior incedit, labitur inde manu.

Per Musas liceat supremum munus obire:

Parnassum tango, nolo referre pedem.

Si labor omnia vincit, prosequar ergo laborem;

Numen erit facile, dummodo dignus ero.

Sicubi pellantur tristes de pectore curæ,

Optimus est quisque dictus Alhambra locus:

Quem, licet ignarus clamer, describere raptim

Incomptis conor imparibusque modis.

Insuper apricos colles Illiberis astat,

Qua rutilat Daurus, Singilis ⁽¹⁾ atque nitet.

Judicialia claustra patescunt hujus ab Ortu;

Hinc callis Gomeris incipit, estque duci;

Hoc in limite puniceum, ⁽²⁾ sic nomine dictum,

Destrorsum limen, turris ⁽³⁾ et alta rubra est.

Quæ ducunt ad summa locorum terna viarum

Sunt jucundæ, oculis omnia quæque patent.

Si tenues illuc oculos, huc, undique vertat,

Quisque, licet prudens, obstupefactus erit.

Absque manu, sponte omne viret, mirabile visu:

Illuc vix radiis solis adire datur.

Cum molli strepitu properantis rivulus undæ

Et levâ et dextrâ tramitis in medio est.

Illimes saliunt passim per gramina venæ

Somnos motantis dulce perennis aquæ.

Excelsæ ulmi cœlorum tenus, utque minaces,

Ramos tangentes vertice sæpe ferunt:

Hic jam convexo nutantes pondere gratos

Insimul amplexus culmine quæque petunt:

(1) Río Genil.

(2) Puerta de las granadas.

(3) Torre bermeja, que son tres juntas á la derecha.

Pendentes medio de vertice sponte labascunt
Et virides hederæ leniter ora sedent.
Per multas alias cadit e summo aggeris humor,
Hoc mira arte situm pensile quale foret.
Fonticuli manantes in glomeramina vivi,
Atque fluenta illo sunt sine lege jugo.
E regione videntur blando murmure fontes
Per musci rivos lene fluentis aquæ;
Hæc labens præceps peregrinos detinet omnes
Montis in acclivi sub boreæque latus;
Qui placide herbas et tacitus virgulta rigaret,
Hic humor rauco cum sonitu inde ruit.
Propterea optandum cordi nil sensibus absit;
Sunt fine hospitio splendida tecta duo.
In domus illas per nemus it florensque virensque
Gaudens, et tutus hospes ab hospite erit.
Sunt jucundi fraga saporis, lilia, myrtus;
Sunt hyacinthus olens, perpetuæque rosæ.
Non desunt nardus, violæ, quàm plurima florum,
Omni ver frondens tempore, penè sedum.
Lætos indocili certatim gutture fundunt
Atthis cum, volucres tum, querulo ore sonos.

In Caroli arces Quinti et Alhambrae qua sit eundum

Est trivium duri cardinis ante fores,

De quibus altera porta duabus, nempe sinistra,

Arcubus ut soleae judicialis adest.

Colle in laeto morte carens se firmat Alhambra,

Præ cunctis celebris, Aonidumque domus,

Turribus et circumdata, colles inter amœnos,

Quam Daurus lambit, Singilis inquit ave.

Crystalis centum labentibus inde videntur

Cespites hinc illinc attrepidare leves.

Tum patulas nares unâ genialiter auras

Plurima quam florum, sat thymum, odore replent.

Per nemorum summa en turres se tollere in astra,

Quod re non factum, sed quasi mente foret.

Auriger hinc cerni quit Daurus, in Aretos, amatus

Per corylos præceps, sæpe fragore pavens.

Fecundi colles, permulta vireta superne,

Gymnasium, ⁽¹⁾ vicus, ⁽²⁾ sub gelido axe sedent.

Sistunt deliciae, domus, hortus ⁽³⁾ junctus Alhambrae,

Et dives dulcis fonte rigatus aquae.

(1) Colegio del Sacro-Monte.

(2) Barrio del Albaicin.

(3) Es un sitio que llaman Generalife.

Qua sub Regina, illic est annosa cupressus,
Maurica narratur fallere jura tori.
Non desunt platani geniales, haudque virescens
Arbutus et pomis mire onerata rubris.
In guttas conversi frigens aeris augent
Torrentes rapidi prosilientis aquæ.
Floribus in tantis excellunt mollis acanthus,
Perpetuus pariter hic amaranthus olens:
Certant quis melius, vel majus reddat odoris,
Qui tangat lumen atque vel atque prior.
Mille colorum qui curbo capiantur ab hamo
Pisces ludentes sunt ibi, stagna cava.
Naturam ars superavit Alhambræ, non ita in horto,
Natura artis opus ingeniosa domat.
Alternos per ramos auroram accit aedon
Crebro sollicitus; aurea poma micant.
Multisono cantu variæ volucres melos edunt,
Puro captantes æthere corda jocos.
Hæc regio quæsita est, sed plus inania cœli;
Mens agitata tepet, decidit ira ferox;
Fine laborum, trunci, concava saxa dehiscunt;
Luxuriant animi, corpora fracta virent.

Hic sol amorum, sic nunc cras erit actus amore

Cui nunquam fuerit nullibi gentium amor.

Hic est æternæ paradisi sedis imago:

Mittuntur curæ, vita beata fluit.

Martyrii ⁽¹⁾ tumulus surgit, qui spectat ad austrum,

Plenus ibi arboribus, fonte rigatus ager.

Insimul inde videtur labi argenteus infra,

Qui Dauro junctus irrigat arva, Genil.

Tractu, ⁽²⁾ curvato capite, ulmi sunt apud amnem,

Arcum ducentes, quivis ut actus eat.

Tauri mugitus ferturque, canumque latratus,

Et vigilans gallus ore ciere modos.

Nec laribus per inane elata volumina fumi,

Lumen aratrorum nec reticere licet.

Quas ultro loca amœna biberunt cuspide labi

Montis ⁽³⁾ cæperunt, et liquidæ ire nives.

Vi rapiantur quòd pridem servata metalla

Mulacen vocès en iterare graves.

Textrinas olim ut cum nullibi, stridere præla

Auditum hic grate, malleolique sonus.

(1) Campo de los Mártires en otro cerro próximo á la Alhambra.

(2) Paseo de la Alameda y de la Bomba.

(3) Mulacen ó Sierra Nevada.

Delubrum ⁽¹⁾ prope dives et artis, jure vocandum
Prodigium, necnon ad boreale manet.
Hic ars prospicitur statuaria, multa laborum,
Ut pictum marmor hac regione datum.
Non longe Zubiae ⁽²⁾ memoratu est innuba laurus
Qua sub Regina constitit Elisabet; ⁽³⁾
Ad cœlum manus huccine pro certamine dando,
Nec sero audita, supplice voce tulit.
Reges ⁽⁴⁾ urbem illic, ubi castra locata, vel usta,
Condere jusserunt nomine *Sancta-Fides*.
Prominet ac prope Alhambram præcipiti sita turris, ⁽⁵⁾
Non minus elata quàm celebranda Phari.
Dicendum mihi quàm Babylonis pendulus hortus
Is jam prospectus plus libet atque movet.
Subjacet æquoris in medio cisterna redundans,
Elatis cameris, frigidiorque gelu:
Quæ collis penetralia complet non sine cura,
At semper videat quisque premente metu.

(1) Cartuja, donde los mármoles presentan tantas y tan diversas figuras que parecen pintadas.

(2) Pequeña villa llamada Zubia.

(3) Reina Católica.

(4) Reyes Católicos.

(5) Llamen Torre La Vela, con una gran campana.

Desumptæ Dauri corrugo copia lymphæ
 Sanctæ procedit per tumulos Helenæ.
Ex imo fluvius sinuoso tramite præceps
 In pingues agros, per domus inde fluit:
Magnum opus, utile, non minus aspectabile Alhambrâ,
 Qua liquor jah lambit! rumpere parte valet:
¿Quis laturus erit tot, tantos stragis acervos?
 ¡Flumen erunt lacrymæ dummodo rumpat eò!
Nil superest, miserabile visu, frontis Alhambræ,
 Quæ, Carolo Quinto vulsa, tacenda mihi.
Hac in eadem parte superbè infecta residet
 Altera regalis è regione domus.
Interiori limen Alhambræ dispar adesset,
 Infandum exterius, interiora secus.
Insutæ stellæ tectis hîc, tot quasi turres,
 Castella inversa, pyramidesve forent: ⁽¹⁾
Cuivis dicetur solers Polycleta renata,
 Hac in vel docta Phidiaca arce manus.
En auro Dauri laquearia plena micante,
 Sive quod argento Singilis unda ferat.

(1) Estos grupos de invertidos castillos, pirámides y otros cuerpos geométricos en los techos se llaman Cupulinos.

Duro multicoloribus icta forataque cælo
Mille columnarum mænia summa ferunt.
Sunt regum proli vario de marmore thermæ,
Quæ suffiretur floris odore citri:
Exibant reginæ tecto corpore pennis
Abductis unde sol revocaret equos.
Myrtorum primò vel stagni porticus extat;
Hic pateræ, fontes, et tabulina duo:
Ex ipsis aliud permagni est insuper unum;
Cuncta labore acta, nec minus arte bona.
Multi sublimes arcus tenuesque columnæ:
Mirifice incumbit hoc grave pondus eis.
Hic alabastrum, tum pisces variante colore;
Illic luxuries cauta, vagatur amor.
Muri solerter cælati, tecta peracta;
Sunt auro cameræ, tum laqueare micans.
Est ibi legatis ad lævam mansio mira, ⁽¹⁾
Fert primas reliquis, artis et ordo loquens.
Insuper una, quæ lepide in boreale resurgit,
Altera profertur pergula ⁽²⁾ laude frequens.

(1) Salon de embajadores ó de comares por la labor llamada Comaragia, el mejor órden de arquitectura de aquel tiempo.

(2) Es el mirador de la hermosa reina Lindaraja.

Infra est imum, tum ripæ curvamina, Dauri:

Æthere conspicuo ceu globus ille locus.

In radice jugorum, vici, culta vireta;

Hic tardo ingenio sacra poesis adest.

Gaudia carpit et hic situs, ævum et carpitur ultro:

Scalprum et lingua tacent, lumina cuncta legunt.

Spiritus oppressus tanta novitate reperta,

Quivis præcautus corpore captus erit.

Nil superest huc cernendum quicumque veniret,

Illud per podium proferat atque caput.

Fronte in liminis atrium adest insigne leonum:

¿Quis vero poterit scribere tanta nova?

Mille columnæ binæ, ternæ, sive quaternæ,

Flexibiles arcus, et tabulina super.

Innixa illius fontis cervice leonum

Persimilis templi Jerusalem patera est.

¿Quis igitur non rerum tot miracula cernit,

Solers tunc cælum temporis artis ovans?

Sororum inde venit de fronte cubile duarum, ⁽¹⁾

Cunctis visendum non minus artis opus;

(1) Llámase así este salon por haber en su pavimento dos losas de alabastro de cuatro varas y un pie de largo y dos varas de ancho.

Et simul horribili eventu memoranda parumper,
Qua loquitur cælum, tertia mansio ⁽¹⁾ obit:
Cervices truncatæ astu triginta priorum
In patera fontis qui situs in medio est.
Magna thermarum super aula denique scribam:
De tot prodigiis dicere fine caret.
Hic nunc submissis genibus, lacrymisque refusus:
Hæc loca, Maurus ait, ante fuere meis.
Quantumvis laudentur, semper erit minus æquo,
Nec digne possit fingere quisque sibi.
Hic audax cælum, color, aurum quaque refulgent:
Signari poterit: *non plus in arte sua.*

(1) Salon de los Abencerrajes, donde el rey Aben-Osmin traídoramente mandó degollar á 34 de los principales de la ciudad, cayendo las cabezas en la taza de una fuente de alabastro que hay en medio.

Sæcula post septem bellorum lustra que quinque,
Candida pax adiit, sorte favente Cruci.
Non paucis optata, vel expectanda Boabdil,
Jani lux mensis nata secunda fuit.
Perfulgens erat illud montana nive mane,
Ipsi vel multis flebilis illa dies.
Proditione acta, nostro cum Rege Boabdil
Jam præiturus erat turpiter, haudque mora:
Singilis et turma comite essent ponte recepti,
Infra pergrate flumina bina jugant.
Non procul ad fanum ⁽¹⁾ discedunt victus ovansque;
Illic perpetuum triste sonavit ave.
Alternas illic manus humane sibi tendunt,
Atque Boabdil erat dura videnda parens.
Subtristis sequitur fugientem lumine sedem;
Defessus poscit se recreare via.

(1) La ermita de San Sebastian, entonces mezquita, en el paseo del Violon, donde hay una lápida que así lo expresa.

Huncque retardat plus cruciatus quam loca vasta;

Haud procul est usus urbe quiete frui.

Multa movens, vultu demisso, se foveat ulnis;

Levâ, tum destrâ, lumina pone tulit.

Languidus incedens unâ cum matre Boabdil,

Fletibus assiduis talia verba dedit:

Fas mihi sit complere querelis omnia circum:

Audiat hæc æther, conscia saxa bene....

Et nivis instar nunc per malas sole liquantis

Guttæ labuntur usque rigare solum.

¡Proh Deus! hei mihi! ¿quo perducas, et unde profectus?

Constans justitia ¡quam pia, fortis, ades!

Quem penes esset lex modo, jura vel, ecce Boabdil,

Omnes exosum fervida arena manet:

¡Oh ego ter felix, et nunc tot casibus actus!

Exul, privatus, tempus in omne miser!

¿Cur turris vigilis ⁽¹⁾ de vertice non ero jactus?

Lucinæ ⁽²⁾ mortem fata negare mihi?

¡Oh mallet jam temporis haud meminisse peracti!

Sit par tam misero vivere sive mori.

(1) Torre de la Vela.

(2) Lucena, donde perdió una gran batalla.

¡Oh ales vaga, sæpe revertens sub trabe nidum

Figis, erit melior sors tua sorte mea!

Oh Alhamaris magnanimi regis domus alta,

Dulcis mellilla, qua cubat ipse Deus:

Qua cantum properant argutæ sæpe lepore

Aonides carmen ore movente sacro:

Quam Phœbe rutilans it pressa voce locutum:

Cui Geminos manibus dicere detur ave.

¡Oh decus, unquam gloria non par temporis magna,

Scalpro materies dum tua victa fuit!

Audis Musarum sedes, Venerisque, Minervæ:

Qui te perspiceret nil nisi restat amor.

Arx fortis, fulgens Pariis fere mille columnis,

¿Es quidem in terris æthereusne locus?

¿Quis non obstupet, aspecta te, cuncta relinquit?

¿Quis non te laudat, flectit humique genu?

Longa mihi suspiria fas renovare sit acto:

¡Oh quam te memorem! dorcas amata mihi:

Regia, splendida luxu qua simul omnia rident,

Et rerum mater, ridet et ipse Deus:

¿Quis non Supremum videt in te? quis tibi divæ

Non studet altare tollere corde suo?



Ad retinendam quis nisi ego non fata subivit?

Non stitit oppugnans impavidusve mori?

Lux mea, tum dulcis flos, quæso, rore micantes

Inter, Alhambra, tuos corpus humato meum.

Te cerno licet amissam, vissamque præopto,

Ploro cupitam etiam, dummodo luce fruar:

Perlætus teneros annos exegi ibi, magno

Clamore ingressus, et celebratus ovans.

Hincque venire refractam sentio molliter echum

Mulacen, ⁽¹⁾ Dauri, Singilis atque jugis.

Corpus dum manet Afer, plurima cara residunt,

Hic cor non segne, pars meliorque mei.

Æther ibi bullatum, tempe, ibi gaudia mitto:

Sunt acti soles more fluentis aquæ.

Hinc visu lego gaudentes cursare puellas

Curto per gramen arcitenente pede.

Veste patente venire salacem a pectore eburno

Illa puella fuit quam puto crure tenus:

Ad cujus frontem sparsos errare capillos,

Ludere festive pectora pulchra super.

(1) Mons nivosus=Sierra Nevada.

Turbam stellatis oculis exire lavacro,

Nectare roratis et sine lege comis.

Labra coralina fixit femina more columbæ,

In mea colla ferens ambrosiasque manus.

Cor permulsero illa columbatim data sponte

Basia, deliciæ, grata venena mihi.

Delicias fundebant pullaque, flavaque cunctæ,

Cordi præfixas, undique more suo.

Vix arcem caram neque culmina cerno,

Quæ nunquam ad vultus jam reditura meos.

Tunc sublatus habenis talia flebile fatus:

¡Oh quantum Patriæ sanguinis ipse dedi!

¡Divinum justum, validis pollentius armis!

¡Abs jure in patrem ferrea tela tuli!

In pœnas culpæ comites eo: morte pianda

Mors: eo ¡ah! peregre non fuero unde redux.

Imo pectore, non aliter sitientis avari,

Singultus mittit, ceu moriturus eò:

Passus ¡proh dolor! ultra, jamque fugacia visus

Hæc loca laudanda non fruiturus ero.

Cum gemitus miserandos corde sub ille repressit,

Frenum dente petens tunc equus ipse dolet.

Arce querente superba, flebile silva sonaret;

Suspirat Daurus, ingemit atque comes. ⁽¹⁾

Acta brevi mihi sunt ægre jam tanta laborum:

¡Nunc peream! lapsus, vix ea fatus erat.

Nec aliud superesset quam sonipes et arena:

¡Væ misero Regi! tan dolor altus erat!

Est regionis perventum in postrema locorum,

Mauri lamentum nomen id inde fuit.

Tum revocatus, sustollens manus insuper orat:

Nunc ¡heu! terra mea contegat ora....—parens:

«Sordide, fle regni jacturam, femina sicut,

»Non defensi hominis est uti, plange miser:

»¿Quid tibi nunc ægre sit? non domita inquit Aixa, ⁽²⁾

»¿Luctus quæ causa? ¿non tibi culpa fuit?

»Regum codice sic scriptum: sic fata tulere:

»In summis homines sic neque stare diu.

»Undæ nos expectant: nunc age, rumpe morasque:

»Frenato lacrymas, en mare cuncta piat.»

Cumque Boabdil delicias dimitteret hasce,

¿Quid mirum flere? præcipitem ire mari?

(1) El Genil.

(2) Así se llamaba la madre de Boabdil, vencida, no domada.

Ingressus, velox in Alhambram lumina volvit;

Imo corde vibrat ultima longa vale.

Vives, arx, extento ævo, vale, mente reponam:

Hærebis minime non memori ore meo.



